

DISPUTATIO THEOLOGICA

S E C V N D A.

D E

PECCATO ORIGINIS.

Q V A M,

Favente Numine Trin-uno,

S V B P R A E S I D I O

Reverendi, Clarissimi, Doctissimique Viri,

D. FRIDERICI SPANHEMII, S.S. Theol.

Doct. ejusdemq; Facultatis in Illustr. Acad. Lugd. Bat.

Professoris longè celeberrimi, Eccl. Gall.

Past. disertissimi,

Publicè defendendam suscipit

IOANNES AVDIEWICIVS, Lithuanus.

Addiem 2. Aprilis, loco horisque solitis.

LVGDVN BATAVORVM,

Ex Officinâ BONAVENTVRÆ & ABRAHAMI

ELSEVIR. Academ. Typograph.

c I c I c I c I

Illustrissimo, Celsissimoque Principi, ac Domino,

D. BOGUSLAO RADZIWIL, Dvc i in
Birze & Dubinki, Stucko & Kopyle. S.R. Imp.
Principi. M. D. Lithuan. V exillifero, Pofzry-
viensi, &c. Capitaneo, Domino ac Mæcenati
meo munificentissimo.

Non sum nescius, Illustrissime Princeps, Domine clementissime, infelicem undiq^t tenuitatem meam incusari posse, quod ego in incede studiorum constitutus, adeo audacter angustis penatibus tuis inferar. Verumenim vero postquam seriatim estimatione reputaveris me esse unum ex iis qui munificentissima tua dextra benignitate, cultui divino mancipantur, haud gravatae pulvinari tuo literarum hoc patieris deponi donarium, in quo finge Tibi quot in eo sunt dictiones, syllabæ, literæ ac denique apices, tot esse ora clamantia pariterq^e dicentia: Gratias referimus immortales. Enimvero quū verba beneficiis tuis immensis non convenient, tacitus ea admirari debedo, hanc ex voto animi mei repetens gratulationem. Vive, vive Heros Illustrissime, & dum te Principum omnium custos ac Praeses DEVS OPT. humanis rebus interesse patitur, ulteriori tua gloria, redux in Patriam, quæ te densissimis plausibus optatissimè excipiet, felicissimè velificare. In columitate enim tua, in columitas omnium Civium tuorum, nostræ felicitas patriæ & omnium bonorum vota abunde continentur. Dabam Lugd. Batav. c^{lo} l^o c^{lo} XLVIII. Mense Martio.

Celsitudini Tuæ omni nexu deditissimus
ac humillimus Cliens

IMANAI IOHANNES AUDZIEIEWICIUS,
Lithuanus.



BR 247011-1

95257

DISPV TATIO THEOLOGICA
S E C V N D A,
D E
P E C C A T O O R I G I N I S.

T H E S I S I.

Questionis *An sit peccatum originale affirmati-
vam adstruximus hactenus argumentis tribus in-
artificialibus ex Scripturâ S. deductis, eorumque
vindiciis. Reliquum est, ut telam quam orsi su-
mus, pertexamus, & argumenta quædam alia id genus &
proponamus & vindicemus. Quod quidem ideo prolixius
occupandum censemus, quia vindicet istæ necessariæ sunt
tuendæ veritati, & glossematis & argutationibus variis Ad-
versariorum, in speciem subtilibus, abstergendis.*

II.

I V. *Locus exstat in Psalmis 14. 2,3. & 53. 3,4. Omnes re-
cesserunt, simul putidi facti sunt, non est qui faciat bonum,
non est vel unus, repetitus à Paulo Rom. 3.9. ad evincendam
universalem omnium hominum, tam Judæorum, quam
gentilium corruptionem. Habemus itaque his locis: 1. U-
niversalem corruptionem omnium. 2. Universalem om-
nium reatum. Ista verò dari non possunt sine originali
omnium corruptione, tum quia actualis est ex originali, ut
principiatum ex principio, & actuum ἀταξία est ab ἀταξίᾳ
habituum, tum quia actualis declinatio haudquamquam
universalis est, nec impingi potest omnibus, quippe quo-
rum multi non peccant ad similitudinem transgressionis
Adami, Rom. 5. vñl. 14. Adde, scopum Prophetæ, & post
ipsum Apostoli esse, ex eo totum genus humanum sine ex-
ceptione reum peragere.*

III.

*Exc. 1. De actualibus peccatis tantum loqui Propheta-
tam. Id patere ex phraseologiâ activâ Apostoli, eum dicere,
in corde suo non esse Deum, corrumpere viam suam, facere
opus abominabile. 2. Non esse quæstionem, quid ab ho-
minibus fiat, aut non fiat, sed quid fieri possit ab illis, aut
non. Hic de priori sermonem esse, non de posteriori. 3. Hyperbole-
nen ibi reperiri, non quod ne unus quidem bonum
faciat, sed quia pauci admodum reperiantur qui id faciant,
& respectu tantæ impiorum multitudinis propè nulli.
Psaltem enim id ipsum pronuntiantem talem non fuisse,
nec pios alios sui ævi. 4. Psal. 14. loqui Apostolum de pec-
catoribus antonomastice talibus, qui dicunt in corde suo
non esse Deum. 5. Psal. 14. 6. A Psalte excipi pauperes
sperantes in Jehovam, & ps. 7. Israëlem salvandum & exul-
taturum. Sic Ps. 53. 5. Populum Dei generationem justam
distingui ab improbis, comparativè itaque ista intelligenda
esse, non absolute, indefinite non universaliter. 6. Sermonem
esse de hostibus Israëlis, Ps. 14. è quorum manu vin-
dicandus erat Dei populus.*

IV.

Sed nec iste argutationes intercedunt argumentationi
nostræ ex locis illis. Ad 1. *Exc. Resp. 1.* Per συγχώρησιν, con-
cedi à nobis, de actualibus peccatis loqui Psaltem. 2. Per
ἀγνησιν, eum de iis tantum & exclusivè loqui. Hoc verò as-
serere est ponere τὸν δέχεται. 3. Probatio desumpta à phra-
seologiâ activâ inconsequens est, vel enim procedit κα-
θόλου sive universaliter, vel καὶ μέρος, sive particulariter. Si
prius, falsa est, si posterius, inconsequens est, quasi verò in-
terni actus verbis activis nunquam designentur. Illi enim
æquè Deo patent ac externi, & totidem opera sunt coram
Deo. 4. Adde supponi, non probari, Psaltem tantum
verbis activis uti, adhibet enim etiam verbum passivum.

הַלְּאָנָּא, hoc est, putidi facti sunt, quod ad corruptionem faque
ginalem & inhærentem appositè referri potest, LXX ver-
terunt impropiè ἡχεδωγησαν, sensu tamen salvo. Targum
habet אֶת שְׁרֵבָה quod est *obtorpuere*, pigri redditii fuere, à
verbo Chaldaico לִשְׁרֵבָה in *Ithpahel*, quod est *obtorpescere*.
Verbum הַלְּאָנָּא cæteroquin, inusitatum in *Kal*, significat
propriè & primò putrefactionem, corruptionem corpo-
rum ex infirmitate aliqua præcedente, quasi à הַלְּאָנָּא per me-
tathesin, secundariò & per transumptionem, significat
corruptionem & contaminationem animorum.

V.

Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Per concessionem, sermonem esse de
iis quæ ab hominibus fiunt, nec indefinitè tantum, sed
universaliter quæ fiunt ab omnibus & semper. 2. Kal נְבָיאוֹן, quia tales sunt actus externi omnium & singulo-
rum, talis est etiam interna singulorum dispositio, à qua
quippe fluunt actus externi, & cum motus & actus inordi-
nati procedant ab omnibus inde à prima ætate, debet
etiam dispositio inordinata esse in omnibus à prima
ætate. 3. Petitur נְכָר דְּבָרָה, aliter fieri posse ab homine
animali, quam ut male agat, & actu peccet. Potentia enim
illa benè agendi nec à priori demonstrari potest, nec à po-
steriori, contra impotentia benè agendi utroque modo
probari potest.

VI.

Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peti denuò נְכָר דְּבָרָה, reperiri ibi hy-
perbolē. Illi verò locus tunc demum, ubi res aliqua no-
toriè repugnat & rationi, & sensui, & experientiae, si ad
sonum intelligatur & non ad sensum, quod hīc dari nequit,
Obstat etiam, ne hyperbolē admittamus emphatica
ista repetitio & ingeminatio cum תְּלִילָה & תְּלִימָדָה qua-
dam singulari, unumquemque recessisse, non esse qui faciat
bonum, non esse justum, ne unum quidem, omnes defecisse, non
esse

esse qui faciat, quod bonum est, non esse usque ad unum, Psal.
14. & 53. & Rom. 3. 2. Peccatur *ignoratione elenchi*, ~~et ignoratio~~
de Psalte & aliis id genus piis sui ævi, nec enim nobis
quæstio de dispositione gratiæ hominum regenitorum
quà talium, & quà sequentium ductum Spiritus, hacte-
nus enim coercetur sæpe innata ista labes regenitis ipsis
adhuc inhærens, ne erumpat in actus vitiosos, sed de na-
turali omnium dispositione. Vnde non sermo tantum de
~~enrollment~~ vel *declinatione* omnium actuali, verùm etiam de
~~ἀχεγονίᾳ~~ vel foeditate omnium naturali, & velut ha-
bituali.

VII.

Ad 4. *Exc. Resp. I. Per concessionem*, sermonem esse de
peccatoribus *antonomastice* talibus, qui dicunt in corde
suo non esse Deum. 2. *Per negationem*, tantum & exclusi-
vè de illis sermonem esse. Oppositum patet ex scopo Apo-
stoli, Rom. 3. qui erat, omnes & singulos mortalium, &
Judæos & Græcos, de peccato convincere, v. 9. & 23. &
sic omnes in universum adigere ad necessitatem confu-
giendi ad Mediatorem. Haudquaquam verò vel institu-
tum istud Apostoli, vel probatio succederet, nisi omnes
& singuli mortalium verbis illis ab eo ex veteri instru-
mento allegatis designarentur.

VIII.

Ad 5. *Exc. Resp. I. Per concessionem*, à Psalte excipi *pau-
peres in Iehovam sperantes*, *Israelem salvandum & exultatu-
rum*, item *generationem justi*, &c. 2, *Per negationem*, id ob-
stare quo minus designetur universalis omnium corrup-
tio à prima origine omnibus inhærens, quod enim aliqui
sperarint in Iehovam, non habebant à bonitate genera-
tionis suæ naturalis, sed à gratia suæ regenerationis super-
naturalis, ab ista demum est generatio justa, quà talis, non
ab illâ. Sic Israel salvandus talis non est ex *rectitudine na-
turali*,

turali, sed ex gratia duntaxat fœderali. Distinctio itaque sequens impiorum & pauperum ac generationis justæ non tollit naturalis omnium corruptionis identitatem, nec obstat quominus naturalem omnium corruptionem designando absolutè loquatur Psaltes & universaliter. 3. Peccatur etiam Elencho à dicto secundum quid, vel enim corruptio originalis spectatur quâ inhærens, vel quâ regnans. Quâ inhærens, æqualis est in generatione justa æquè ac injusta, quâ regnans non item, quippe cui ablatum est dominium per gratiam regenerantem. 4. Petitur τὸ ἀρχῆν, comparatè & indefinite tantum loqui Psalmem, non absolute vel universaliter, oppositum patet. I. Ex repetitione expressa syncategorematis universalis apud Paulum, Rom. III. 2. Ex ejus declaratione κατὰ τὸ ἀρχῆν, ne unum quidem excipi. 3. Ex identitate objecti, in quod Deus respicit è cœlis, & quod malum est. At nemo mortalium est in quem non prospiciat. 4. Ex triplici absurdo consequente restrictionem istius objecti. I. Quia actualis declinatio non dari poterat, vel videri à Deo in omnibus illis qui non erant ex fœderato Dei populo & oppositi generationi justæ. Nec enim actualiter declinaverant eorum infantes. Non entis verò non sunt accidentia. II. Quia querela illa, omnes declinasse & pariter foetuisse, & non esse facientem bonum, ne unum quidem, haudquaquam verificari poterat in plurimis, Gentilibus etiam, quippe quorum multi studebant civili & morali bonitati, quo ad actus multos externos. Debonit itaque necessario connotari universalis corruptio latens in omnibus, adeoque naturalis, sine quâ quippe aphorismis illis divinis sua constare non poterat veritas. III. Quia Apostoli Pauli argumentum ex istis locis, Rom. 3. inconsequens foret & falsum, si ex indefinite aliquorum corruptione universalem omnium & Judæorum & Græcorum arguisset pravitatem,

tem & reatum, & necessitatem omnibus imponeret confugiendi ad thronum gratiæ divinæ per fidem in Christum. Vel igitur Apostoli argumentatio inconsequens est & sophistica, procedens à particulari ad universale, quod blasphemum, vel revera universalis omnium & singulorum corruptio, eaque originalis & habitualis necessariò connotatur, quum actualis haudquaquam reperiatur in omnibus.

IX.

Ad 6. Exc. Resp. 1. *Per concessionem*, de hostibus etiam populi Dei *inclusivè* sermonem esse. 2. *Per negationem*, *exclusivè* de illis tantum sermonem esse Psalti. Nec enim vel phraseologia universalis Psaltis locum haberet, vel applicatio verborum illorum, quam instituit Apostolus, Rom. 3.

X.

V. *Locus exstat Psal. 51. 7. Ecce in iniquitate genitus sum, & in peccato concepit me Mater mea.* Ubi sermo Psalti, 1. De formatione sui in peccato. 2. De iniquitate sibi à conceptione inhærente. 3. De massâ corrupta ex quâ fuerit natus. 4. De peccato ad quod se habebat primò merè *passivè*, cum quo conceptus fuerit & genitus. 5. De peccato traducto in se à parentibus suis. Quæ omnino originalem istam hominis corruptionem non possunt non designare, nec aliò trahi sine gravi absurditate. Hinc non sine causâ Psaltes usus fuit verbis illis emphaticis, *נָבָרְגִּנְעַתְסָעֵם* *sum*, & *נָבָרְכָלְפִּיכְטָה* *calefecit me*; ut enim *נָבָרְגִּנְעַתְסָעֵם* in *Pihel* significat vel *transitivè*, ad partum impellere, vel *intransitivè* parturire, sic *נָבָרְגִּנְעַתְסָעֵם* in *Pyhal* significat in partu vel per partum in lucem edi. *Targum* non tantum hīc *נָבָרְגִּנְעַתְסָעֵם* exprimit per *נָבָרְגִּנְעַתְסָעֵם*, *genitus sum*, quod ad utrumque parentem potest referri, sed emphaticè etiam verbum illud alibi redditur *Prov. 8. 25. per נָבָרְגִּנְעַתְסָעֵם quasi in ventre gestatus fui,* *quod*

quod ad matrem tantum referri potest & à lxx redditur plerumque per ὁδίνην & ὁδίνες οὐχί. Ut verò hoc verbum de formatione corporis Davidis, vel de partu etiam, ut Job. 15. 7. & 39. 4. intelligi potest; sic & sequens intelligi debet de conceptione, dum inquit, & in peccato וְנִזְבָּחַ de verbo adverbum *calefecit me mater mea*, hoc est, incalescendo concepit me mater mea, per *metonymiam efficientis*, quod & primam originem notat, & alludit ad calorem instrumentum potissimum conceptionis. Et calor quidem δικλινῶς hīc adscribitur matri, quia mater sola concipit fœtum, & suo calore foveat, prout etiam verbum istud eodem adhibetur sensu Gen. 30. 38. 39. 41. Ascendit itaque David à consideratione peccati actualis à se admissi ad originem totius suæ corruptionis, & ostendit, inde ab utero se corruptum esse & peccato obnoxium. Quod sanctorum proprium est, & ad originem malorum ascende-re, & peccata sua non extenuare, sed exaggerare. Ex hoc itaque loco & Patrum plurimi, & interpres propemo-dum omnes, & meritò quidem, peccatum originis arcessunt.

XI.

Exc. Nullam hīc originalis peccati designationem re-periri. 1. Verba Davidis intelligi debere non de *conceptio-ne substantia* vel naturæ Davidis, sed de *conceptione* sui *pec-cati*, quod vel Diabolus vel cor suum, vel concupiscentia sua sibi æstum & calorem illum peccandi indiderint tunc cum in peccatum illud incidit. Idem adscribi concupiscentiæ pravæ, Jac. 1. 14. 15. 2. Davidem non loqui de peccato suo originali, sed de peccato actuali vel parentum suorum communiter, vel præcipue matris suæ singulariter. 3. Posito etiam, non concessio, Davidem de seipso & sua conceptione loqui, id peculiare esse Davidi, nec à particulari, minus singulari, universalem dari posse illationem. 4. Immò ne actuale quidem Davidis peccatum

E

inde

inde inferri posse, minus originale, posse enim aliquem
in iniquitate concipi, qui tamen ob id non sit iniquus,
prout potest aliquis in cœcitate concipi, quamvis ipse
haudquaquam sit cœcus. 5. Verba Davidis vel propriè sumi
vel figurare. Si propriè, nullo jure ad omnes referri quod
sibi soli tribuit David. Si figurare, theologiam symboli-
cam non esse argumentativam, & peccatum originale
hinc concludi non posse. 6. Hoc ipso loco peccatum ori-
ginale confutari, non adstrui, nec enim ascendere Davi-
dem altius ad peccatum Adami, à quo derivetur origina-
lis ista corruptio, sed hætere tantum in peccato proximo-
rum parentum, matris suæ vel in primis. Si vero origina-
lem illam corruptionem designare voluisset, eum ascen-
surum fuisse ad peccatum usque Adami. 7. Isto loquendi
genere Scripturam tantum uti ad majorem malitiæ hu-
manæ exaggerationem, cui ita sit immersus, ut illi quasi
innata videatur. Locutiones similes haberi Psal. 58. 4.
Ef. 48. 2. 8. & 49. 1. & Ioh. 9. 34. nee tamen ex ipsis locis
posse inferri, peccata id genus ab utero à talibus patrata
fuisse. 8. Jobum contrarium profiteri Davidi cap. 31. 18.
*Ab infantiâ mea crevit mecum miseratio, & de utero matris
meæ egressa est mecum.* Immò verba ista à quibusdam sic
legi, & ab utero matris deduxi eam, scil. viduam. Id verò
fine hyperbole intelligi non posse, nisi originalem quan-
dam miserationem, & benignitatem erga viduas hinc
placeat exculpere. Sic Davidem etiam loqui de bono
actu, fiduciâ nimirum suâ quam in Deo reposuerit ab ute-
ro, Psal 22. 10, 11. 9. Verba etiam Davidis controversa ita
posse accipi, ut is proclivitatem potius ad peccandum
quam ipsum peccatum suum exaggeret, & sic eum gravit-
atem facti sui aliquo modo minuere & excusare, cum
plerumque tanta sit hominum ad scelera proclivitas, ut
in illis concepti, natique esse videantur. Quæ exceptio-
nes

nes pleræque sunt Volckelii Sociniani lib. v. de verâ ut loquitur, Religione cap. xviii.

XII.

Subtilia ista in speciem videri possunt, solida censeri non debent. Paucis itaque & discutienda sunt, & vindicanda. Ad 1. Exc. Resp. 1. Peccari παρερμηνεῖαι loci, & ponit τὸν δέχτην. Nec enim verba Davidis ullis fidiculis detorqueri possunt ad conceptionem peccati Davidis, sed necessariò referri debent ad conceptionem substantiæ vel naturæ ipsius peccantis. Ecce in iniquitate formatus vel genitus sum, & in peccato concepit me mater mea. Qui hæc verba glossemati isti de conceptione peccati aptari possunt, vel glossema istud verbis Davidis? Ineptè itaque & contortè planè quod de subjecto ipso dicitur, refertur ad actum subjecti. Et obvium cuivis τὸν ιτιλην passivum esse, & nonnisi ad ipsum Davidem, æquè ac comma posterius posse referri. An etiam loquitur David de matre sui peccati, an non verò potius de matre sua? 2. Adde falsum supponi, hominem posse dici gigni à Diabolo, quando peccatum aliquod grave admittit: tentari quidem potest à Diabolo, seduci, pellici, sed non cogi nec adigi ad peccandum, minus generari. 3. Gratis dici, per matrem Diabolum intelligi, quod & absurdum & inauditum in tota Scriptura. Patris quidem h. e. auctoris peccati nomenclatione designatur, & illi ejus filii dicuntur qui peccant quæ peccant. Joh. 8. 44. Matris verò nomen haudquam illi tribuitur ullo loco. 4. Gratis etiam & ineptè dicitur, hominem à corde suo gigni, vel cor hominis esse matrem ipsius. 5. Nec sanius est glossema de concupiscentiâ, quippe quæ est vel facultas, vel habitus, vel actus consequens subjectum, non antecedens. Et qui homo posset dici genitus à concupiscentia sua, & concupiscentia dici mater ipsius? 6. Peccatur elencho ὡδῷ τῷ ἐπόπλῳ: Jacobus

adscribit concupiscentiæ pravæ partum peccati. Ergo David eam intellexit per matrem suam. Aliud enim, concupiscentiam matrem dici peccati, aliud, dici matrem peccantis. De priori agit Jacobus, de posteriori Psaltes. 7. καὶ τὸ βίαιον, de eadem corruptione inhærente loquitur Jacobus de qua David, ergo illa in homine datur, quia enim homo gignitur in iniuitate, & à matre concipitur in peccato, prava ista cupiditas, illum ad malum pelliens illi inhæret inde ab utero.

XIII.

Ad 2. *Exc. Resp. I. Per concessionem*, demus vel utrumque Davidis parentem, vel matrem saltem Davidis, peccasse in generatione & conceptione ejus, prout licitis etiam actibus peccata sunt adnata, ob humanam infirmitatem, an ob id sequitur Davidi peccatum non adhæsse ab utero? 2. *Per negationem*, hic Psalmi de peccato parentum suorum, & non de propria potius corruptione, quam habuerit inde ab origine, sermonem esse. I. Quia David confessionem de suo peccato hic edit, non de peccato alieno. II. Quia periret ἀληγώνα verborum, & absurdè hic David peccatum commemoraret parentum se generantium, in sui generatione & conceptione admissum. III. Quia David ex legitimo conjugio natus fuit, adeoque & generatio & conceptio ejus legitima fuere, ut ut iis ἄτημα quoddam vel αἰτία potuerit esse conjuncta. IV. Quia vel peccatum hoc parentum Davidis implicabat Davidem, vel non. Si prius, ergo ab utero peccato involvebatur David, quia inde ab utero utriusq; parentis filius fuit: Si posterius, ergo absurdè ejus hic in confessione sua meminit. IV. De illa impuritate loquitur David, à qua cupit purgari adhuc, deiniquitatibus quas vult deleri à Deo, & à quibus cupit Deum abscondere faciem suam v. 9. & 11. At ista peccata personalia erant Davidis, quorum

rum remissio ipsi erat necessaria : Haudquaquam verò loquitur de peccato parentum suorum , dubio procul jam tunc temporis extinctorum, quum David minimus natu filiorum Isai fuerit , & tamen Psalmum illum nonnisi ætate matura conscripsérit , nec inde ab introductione Davidis in regnum parentum ejus occurrat mentio: quod dubio procul prætermissum non fuisset , si illi adhuc fuissent in vivis , prout Bathsébæ matris Salomonis mentio exstat , & honoris ipsi habitu à Salomone . Nec minus parentibus suis detulisset Davidis pietas . V. An credibile etiam , Davidem hic sine causa voluisse traducere parentes suos , matrem præcipue , ob infirmitates vel peccata in sui generatione ab iis admissa ? Quin potius defendo peccatum suum actuale merito ascendit ad originem sui peccati , & illam etiam deflet coram Deo.

XIV.

- Ad 3. Exc. Resp. 1. Non gratis concedi , sed concedendum omnino esse , Davidem de se & conceptione sui in peccato loqui . 2. Kām τὸ βίασον , eo ipso quo de Davide hoc conceditur , conceditur illum in originali peccato conceptum esse , adeoque revera illud in ipso fuisse . 3. Pe-
titur τὸ εὐδέχεσθαι , id peculiare fuisse Davidi , non commune esse omnibus . Nec enim causa ulla dari potest , cur hoc illi peculiare fuerit , nec enim alia fuit Davidis genera-
ratio , vel conceptio , quām est hominum aliorum . Et tanto minus hoc debuisset dici à Davide de seipso , quia ex legitimo conjugio , & à parentibus quidem piis , ut patet ex historia Isai , fuerat progenitus . Quin potius , dum David sui peccati meminit coram Deo , ad communem sibi cum omnibus aliis miseriam ascendit , & in sua perso-
na coram Deo suo ob miseram humani generis conditio-
nem lamentatur , ne dissimulare ulla ratione videatur
suam corruptionem .

XV.

Ad 4. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, ibi sermonem non esse de actuali Davidis peccato. 2. *Per negationem*, sermonem non esse de peccato ejus originali. 3. Petitur τὸν ἄρχην, immo implicatur *contradic̄tio in adjecto*, & statuitur *oppositum in apposito*, aliquem in iniuitate formari, gigni, concipi, & tamen non esse iniuum. 4. Peccari *Elencho* τῶν τε ἐμπλού, & parium, alia enim ratio cœcitatis quæ est αἰτία χηρα, alia peccati, quod est αἰτία χηρα: illa personalis esse potest, istud h̄ic non item, quippe quod speciei esse, & à causa communi vel universalī, demonstratum dabis-
mus. Ut itaque transeunt principia & σοιωδὴ & ἐπισοιωδὴ, & *constitutiva* & *consecutiva* naturæ specificæ à parentibus in sobolem, interdum etiam accidentia individualia tum *physica*, ob temperamenti ejusdem, ex ἴδιον γνέσιᾳ quadam seminis, communicationem (prout Medicorum filii morbos & cephalicos & arthriticos & nephriticos h̄ereditarios statuunt) tum *politica* v. g. jura & onera familiarum, sic transit etiam onus illud speciale peccati & reatus. Haudquaquam verò transeunt *accidentia individualia*, vel merè *personalia*, vel *acquisita*, quæ vel naturam non inficiunt, vel eam etiam inficientia unam duntaxat afficiunt personam. Alia verò peccati vel iniuitatis ratio, quæ instar lepræ à generante conciliatur generato.

XVI.

Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Dilemma istud secundūm utrumque cornu retorqueri posse, ναὶ τὸ βίαιον. Vel enim propriè id à Davide dicitur, vel *figurate*. Si propriè, propriè datum fuit peccatum originis in Davide, & ille in corruptione originaria conceptus fuit, nec quicquam causæ est, cur idem non dicatur de aliis. Sin *figurate*, quia membrin caloris matris, alludendo ad physicum quod fœtus à matre habet fomentum, debet aliquid analogū illi dari ratione

ratione peccati in quo eum mater velut calefecisse & concepisse dicitur. 2. Peccatur *Elencho* τὸ εἰπόμενον; Si propriè hoc de Davide intelligendum sit: ergo tantum de Davide intelligendum esse, quasi id quod *per appropriationem* de uno subjecto dicitur, secundum genus doctrinæ, ad aliud pertinere non possit: An ergo prædicata multa alia, quæ vel Psalmo illo à Psalte dicuntur vel alibi à Prophetis & Apostolis in sua persona efferuntur, per singularum *appropriationem*, non pertinebunt ad alios? Et hic lucta illa carnis & spiritus Paulo erit peculiaris, & boni certaminis certatio, & alia id genus.

XVII.

Ad 6. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* τὸ εἰπόμενον, & non causæ: Quia David non ascendit altius ad peccatum Adami, originalem corruptionem ab eo haudquaquam designari. Aliud enim, loqui de ipsa corruptione originali, aliud, loqui de ejus prima origine, aliud, loqui de peccato originante, aliud, loqui de peccato originato. Satis, Davidem de isto loqui, etsi non loquatur de illo, quamvis hoc ipsum, ut *originatum*, præsupponat *originans*, & ejus participationem. 2. Adde, satis fuisse & formaliter describi istam corruptionem, & *originaliter* ab origine immediata, non mediata, illa erat generatio Davidis è parentibus suis peccato infectis, ista est ejusdem à primo parente derivatio.

XVIII.

Ad 7. *Exc. Resp.* 1. Supponi, non probari, Scripturam isto loquendi genere tantum uti ad majorem malitiæ humanæ exaggerationem, cui velut innata videatur, haudquaquam verò sit, quod est petere τὸ ἡγεμονεῖν. 2. Καὶ τὸ βίαιον, quia Scriptura voluit isto loquendi genere uti ad majorem malitiæ humanæ exaggerationem cui immersus est, voluit simul designare ejus originem. Nec melius

eam designare potuit, quām ascendendo à peccatis actua-
libus ad corruptionem originariam. Nec malitia ista inde
ab infantili ætate datetur in omnibus omnino mortalibus
sine corrupta illa origine. 3. Peccatur *Elencho parium* in
locis parallelis, quæ haudquaquam parallela sunt, & pecc-
atur fallacia plurium interrogationum, v. g. Psal. 58. 4.
Aliud longè, aliquem esse *genitum in iniuritate & conce-
ptum in peccato*, & quidem hoc dici de homine pio, ex piis
parentibus in legitimo conjugio genito, aliud, improbas
dici alienare se à vero & bono, & loqui mendacium inde
ab utero. Posteriora enim actus voluntarios & persona-
les designant, prius non item. Posterior phrasis γενετικής, sancè interdum dicitur de ætate duntaxat tenera
ut hoc loco, & Psal. 71. 5. 6. Sic cap. 31. 15. Job testatur,
pupillum ab adolescentia secum creuisse, & se deduxisse
viduam ab utero matris suæ, h. e. sejam à prima ætate sin-
gularem habuisse pupillorum & viduarum rationem.
4. Esai. 48. 2. nihil tale habetur, verba vero versu 8.
καὶ τὸ βίον possunt retorqueri, revera Israel fuit *trans-
gressor ab utero*, ratione istius corruptionis originalis. Et
sancè Propheta vult dicere, populum istum semper &
omni tempore fuisse prævaricatorem. Posito etiam hīc
phrasin istam intelligi de ipsis Ecclesiæ natalibus, vel de
tempore eductionis Israelitarum ex Ægypto, quæ videtur
velut quædam Ecclesiæ nativitas, separatio quippe plena
à misturâ gentilium, de qua sermo Esai. 46. 6. Jer. 22. 21.
ab inclusiva, ut loquuntur Scholæ, male ducitur argu-
mentum *ad exclusivam*. 5. Locus Esai. 49. 1. καὶ τὸ βίον
etiam retorqueri potest, revera enim ibi introducitur
Christus dicens, Deum Patrem manifestaturum esse ex-
traordinariam vocationem, & officium suum, etiam tum
cum esset adhuc futurus *in utero matris*, quod re ipsa adim-
pletum, ut legimus Matth. 1. 20. 21. & Luc. 1. 31. Adeo-
que

que & phrasis ab utero interdum designat statum istum
primum hominis inde à prima ejus origine. 6. Joh 9.34.
habetur verè dictum , et si non de mente dicentium,homini-
nem in peccatis natum esse , sed non hoc istum homi-
nem magis spectabat, quam ipsos dicentes. Sic Deus sæpè
ex ore hostium suorum educit veritatem & laudem suam
ut Joh. 11. 31. Hic ipse itaque locus retorqueri potest in
Adversarios. Posito etiam , non concessso , Judæos istos
hoc tantum intellexisse, inde à prima ætate hominem
istum malum fuisse , ex hostium Christi ore non pender
rerum veritas , & illa ipsa malitia actualis præsupponeret
habitualē & originalem, ut & ea quæ designantur locis
aliis.

XIX.

Ad 8. Exc. Resp. 1. Ad locum Jobi 31. v. 14. respon-
sum thesi superiori & ostensum , à particulari ad univer-
sale non procedere consequentiam, & peccari *Elencho*
κατὰ τὸ ἐπόπειρον. Hac phrasī apud Jobum non designatur
originalis miseratio , ergo alibi non docetur originalis
corruptio phrasibus similibus , immò ne alio quidem lo-
quendi genere , quale adhibetur Ps. 51. 7. nec enim eo-
dem utitur Psaltes loco à nobis citato. 2. Locus ex Psal.
22. 10. 11. κατὰ τὸ βίαιον potest retorqueri revera enim Psaltes
ibi deprædicat Dei erga se providentiam & gratiam , qui
se eduxerit ex utero , & curam sui gesserit inde ab uberi-
bus matris suæ , Deum etiam Deum suum fuisse inde ab
utero , non ratione actualis vel cognitionis , vel fiduciæ
Davidis in ipsum , sed ratione actualis protectionis &
curæ Dei erga se. Peccatur itaque παρεπεμψεῖα istius loci.
Nec ulla hyperboles hîc vel causa , vel necessitas.

X X.

Ad 9. Exc. Resp. 1. *Katὰ τὸ βίαιον*, posito, Davidem loqui
de proclivitate sua ad peccandum inde à sui formatione;



95254

Ergo

Ergo dabitur vitiositas naturalis in Davide inde ab illo tempore. Ipsa enim ad peccandum proclivitas peccatum est, & velut habituale quid, ex quo actualia omnia promanant. Et haec vera est peccati Davidici exaggeratio. 2. Supponitur falsum, Davidem peccatum suum sic voluisse minuere coram Deo; immo id potius exaggeratum voluit. Et sane piorum haudquaquam est, peccata sua minuere vel excusare coram Deo, sed exaggerare potius. Hinc etiam Davidi peccata sua exaggeranti obtigit misericordia, Sauli ea minuenti haudquaquam obtigit. 3. Exaggeratio vel imminutio peccatorum peti debet à veris fundamentis, non à falsis, adeoque dum David se in iniquitate genitum, in peccato conceptum dicit, verum id esse debet, non videri tantum. Et ista quidem sufficere possunt glossematibus Volckelii abstergendis, & loco isti vindicando, revera Davidem docere originale suo exemplo & in sua persona peccatum, ὥπερ ἔδι δέξανται.

Argumenta reliqua reservanda ad Exercitationem sequentem.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ MISCELLA.

I.

Immensitas Dei essentialis est, non virtualis tantum.

II.

Iudicium controversiarum ultimum, nec Ecclesia est in thesi, nec Romana in hypothesi.

III.

Authoritas S. Scripturae firmius probatur argumentis artificialibus, quam inartificialibus.

IV. Et

IV.

*Et transubstantionis dogma, & sacrificii propitiatorii
ei superstructi assertio, falsa est.*

V.

*Ecclesiarum Reformatarum doctrina antiquissima est, nec
à Calvinio demum, vel à Reformatione Ecclesiae ar-
cessenda.*

VI.

*Sanctificatio nostra hac in vita imperfecta est, justificatio
perfecta.*

F I N I S.

